

Franckesche Stiftungen zu Halle

Examen Solemne Scholae Latinae In Orphanotropheo Glavchensi Et Qvinque Classis Selectae Civivm Vltimos Sermones De Gloria Christi Vt Patroni Scholae ...

Lateinschule zu Halle

[Erscheinungsort nicht ermittelbar], [1731?]

VD18 1262019X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198275



SI quis ex orationibus scholasticis ad utilitatem publicam fructus redundare debet, qui sane magnopere debet & potest esse vberimus, praeter alias cautiones necessarias, opus est, ut sollicitus thematum & materialium selectus habeatur, atque adolescentum industria in argumentis exerceatur, & ingenio ipsorum accommodatis, & labore insumto dignis. Quod si negligitur publicae declamationes tantum absunt ab utilitate vera, ut litterarum studiis & solidae eruditioni, quid quod ipsi eloquentiae officiant magis, quam inserviant. Dici enim non potest, quam ingens oratoriae, praestantissimae artis, & bonae mentis corruptio, ex huius rei incuria manavit, quae, malum, iam antiquissimis temporibus & his nostris etiam multas scholas peruasit. Non una autem ratione hac in re ab imperitis eloquentiae cultoribus & magistris peccatur, dum vel nimis ardua & captum iuuenturis superantia, vel subtiliora, inutilia, ficta & paradoxa argumenta scholasticis sermonibus discutienda sumunt.

Qui arduas quaestiones & publicas controuersias altioris indaginis ac soluti difficillimas ad puluerem scholasticum transferunt, ut ambitiosius reliquis agunt, ita primum etiam locum inter ineptos nugatores merito occupant, licet non careant admiratoribus & multa eruditionis specie superbiant. Hi umbratici doctores nimis magnifice de oratoria sua sentiunt, illamque pro arte venditant, de re quauis cognita vel incognita, copiose & cum multa verborum pompa differendi. Quare paruum de eo solliciti sunt, an rerum de quibus verba facere volunt, gnari sint nec ne, verum non felicius quam si quis pictor facies & figuras nunquam vix pingere & coloribus ad viuum repraesentare co-

naretur. Hinc temerario ausu grauissimarum rerum censores & arbitros se constituunt, & ne quid ex omni rerum vniuersitate rethoricam suam dexteritatem subterfugere videatur, in quasvis disciplinas & causas petulanter inuolant, nil intentatum & incorruptum relinquunt. Quoties aliquid noui in aulis, comitiis, & legatorum conuentibus accidit, lites de imperantium iuribus & controuersis mutuis feruent, certe aliquis declamator imberbis surget, sententiam non interrogatus pronuntiabit, auctor suaeque pacis incundae, aut belli suscipiendi existet, heroes togatos & sagatos in ius vocabit & dictatoria auctoritate successiones & causas principum dirimet. Nec facile aliquis nouator in philosophia & aliis disciplinis dogma ante inauditum proponet, quin hinc illinc in scholis hostes in se concitaturus sit, mordacissimis illorum declamatiunculis excipiendus. Nisi veterum sophistarum artificia, loci topici rethorum, ars magna combinatoria & Lulliana & plures huiusmodi ineptiae notissimae essent, possemus per singula momenta eundo illis quae diximus fidem facere. Sed quantum hos febriculosos homines ratio fugiat, dum volunt cum ratione insanire, oculatior quisque facile deprehendit. Multiplex vero detrimentum inde capit inuentus, quae misera in hos duces incidit, siue magistri hanc eruditionis farraginem & syluam conquirant ad onerandam puerorum memoriam, siue ipsi adollescentes haec monstra pariant. Nam cum omnis illorum cogitatio ad materiam abripitur, de elocutione, de verbis, de stilo, de numero oratorio, de elegantis minus cogitant: nil ex proprio ingenio, harum rerum vacuo, proferunt, sed per bibliothecas cursitare, collectanea sollicitare, polyantheas compilare, aliena corradere, scriptoribus sua suffurari, centones consuere, & alienis pennis, ut graculus in fabula, superbire discunt: ipsarum etiam rerum, quod peius est, confusas imagines sibi formant & eum multa in auctoribus, quos excutiant, nec recte intelligunt, nec intellecta digerunt, grauissimos errores imbibunt.

bibunt. Obscuram præterea, hiulcam, frigidam & inaniter tumulentam dictionem contrahunt ieiuni hi declamatores, ignorantiam rerum verborum ampullis compensaturi, qua re loquaces, vaniloqui, garruli, blaterones, locutuleii & quiduis potius quam eloquentes, quam facundi, quam oratores euadunt. Nasuti etiam fiunt & gnauius impudentes, arrogantia enim & temerarior audacia illi ætati familiaris egregie excitabitur & mira accessionum incrementa capiet his magnificis nugis, & adolescentulus talia ausus, nescio quid protinus factus, & quod eruditionis fastigium consecutus sibi videbitur, unde humana quævis alto & censorio supercilio despiciet. Auditores denique, si quos forte incautos attraxerunt, ut cornu hiantes deludunt, indignatione quam gratia digniores dum nec erudiendo nec delectando ipsorum expectationem implent.

Verum non his solum Thrasionibus rhetoricis dies dicendus est, vix enim excusati peccant, qui ad alterum extremum delapsi argumenta inutilia, subtiliora nec unquam prolutura, hoc est grandes minutias sermonibus publicis concelebrant. Hi cum superioribus in eo conueniunt, quod oratoriae suae nimis confisi quidlibet aliis persuadere & imponere posse credunt, & nihil tam certum arbitrantur, quod non in utramque partem confirmare & conuellere, nihil etiam tam vile & abiectum quod non exornare, colorare & euehere posse sperent. In eo vero ab illis discedunt, quod laureolam in mustaceo quaerunt, & vel vlulam, asinum, bufonem, diabolum, neminem, famem, febrem & desidiam, aut si quid huius surfuris abiectius excogitari possit, magnifice laudant, vel subtilitates, spinas, tricasque philosophicas & criticas, argute disserunt, oratione ad utilitatem minus quam ostentationem composita. Scilicet his praeclares est, vniuerso generi humano contradicere, incredibiles nouitates proferre, verborum ambiguitate ludere & per infinitas circuitiones ad inane aliquod nihil deuopire, in scirpo nodos

quærerere, difficiles nugæ & antiquas nenas magno molimine agere! Et hic tamen morbus longe lateque grassatus, incommoda multa in scholas & rem omnem litterariam inuexit. Adolescentes enim dicturi de rebus leuissimis & nullius momenti, sesquipedalia verba & inanes tumores sectantur, res in vulgus notas, innumeris auctorum testimoniis stipatas cumulant, aut ingeniosius & subtilius disputant, quam ut ipsi se intelligant. Deberet in scholis iuuentus non umbræ sed vitæ præparari, non tam ad scientiam, quam ad sapientiam & prudentiam formari, ut iustum rebus statuere pretium & ex æquo omnia contemplari disceret, cui, si quid aliud, solemnitas hæc nugandi consuetudo aperte repugnat. Nec tandem artium disciplinarumque diuortia norunt, qui pro rostris philosophantur, & in grammaticorum aut rethorum scholis disputant. Habent singulae artes sua confinia, suos limites, quos conuellere & lapidibus motis turbare nefas est.

Cuius etiam vitii accusandi sunt, qui ex ludo litterario scenam & theatrum parant, & iuvenes personatos in orchestram prodire mordaci & ridiculo sermone alios carpere, aut in se inuicem debacchari, fictos furores furere, & verbo, belle increpire iubent. Vnde incredibilis animorum labes enascitur. Comica enim & theatralis cogitandi, loquendi vel agendi ratio in forum, suggestum, cathedram, vitam denique ipsam communem transducitur, & ubicunque hi homines pedem ponunt, soccis & cothurnis incedere somniant, nunquam rem, sed semper personam aliquam acturi. Naturalis etiam verecundia & modestia teneræ ætatis propria expellitur & petulans impudentia confirmatur, ubi aliquis adolescens eiurato iudicio imaginationi se totum reliquit. Non potest quidem omnis fictio ex scholis exulare, poëtis tamen potius quam oratoribus & horum priuatis exercitiis & recitationibus rectius, quam publicis & solemnioribus actibus permittitur.

Sed

Sed ne omnem declamatoribus materiam dicendi eripere velle videamur, ad amoliendam hanc suspicionem inuidiosam quælia debeant esse themata harum orationum paucis explicabimus. Quare subductis illarum rerum rationibus aut toti fallimur, aut themata seligenda sunt, primum facilia & ad vires, eruditionem atque ingenium declamatorum accommodata, illis nec inferiora, ut habeant in quo se exerceant, & dexteritatem periclitentur; nec tamen etiam superiora, ut propria meditatione omnia digere, ordine naturali disponere, verbis & locutionibus conuenientissimis explicare atque ornare, & auditoribus persuadere possint, ut perspicuitas sermoni concilietur, quæ sine claris & distinctis cogitationibus esse nequit, ut tempori demum parcatur & exercitatio omnem ad quem directæ est finem obtineat. Præterea themata deligantur vtilia, quæ neque elaborasse declamatorem, neque audiuisse præsentem vnquam poeniteat: quibus vel aliqua memorabilis historia pragmatice exponatur, vel disciplinae alicuius pars quædam penitiori scientia digna illustretur, vel res alia quæuis scitu factuque necessaria in animos insinuetur. Vnde patet & ciuilem & sacram & litterariam historiam abundantissime sufficere exempla, locos communes & themata orationum in quibus nec vtilitatis nec delectationis quidquam desiderabitur. Ipsa dein naturæ & rerum quotidie obuiarum contemplatio neminem destituet materiam dicendi cogitantem: & hæc quidem themata eo præstantiora sunt, quod quo propius ars ad naturam accedit, eo maiorem gratiam habet. Morum etiam doctrina, hominum officia, virtutes & vitia vel pueris non ignota campum spatiosissimum aperiunt in quo declamator cum fructu decurrere possit.

Theologia denique seu sanctior doctrina, quæ primum commemoranda fuisset, tanta materiae copia abundat, ut inde non sine arte & delectatione declamationum argumenta depromere liceat, quibus & dignitate & vtilitate alia vlla præstare fortiter
nega-

negamus. Felicius profecto ageretur cum iuuentute scholastica si quauis occasione data sacratissimis nostrae religionis mysteriis initiaretur, ne prae litteris profanis sacrae sord. rent, aut vilescerent vnquam. Cum falsorum multorumque deorum cultores pudendarum suarum diuinitatum non puduit, quas panegyricis sermonibus studiosissime condecorarunt: & grauissimi viri regum principumque suorum laudes adeo efferre non erubescunt vt fidei suspicionem faciant, cur nos quaeso venerabilis nostri DEI ipsiusque laudum puderet? Digna vtique sunt beneficia, quibus indulgentissimum numen de nobis immortaliter meritum est, vt nulla aetas de illis conticescat, eorumque grata celebratione non templa solum sed ludi etiam resonent. Sint haec vulgaria, habeantur leuiores & minoris aestimentur a profanis hominibus, non tamen erit, cur ex hac parte circumueniri nos patiamur, rectius quippe edocti quantum praestant aeterna caducis, diuina humanis. Nec vtilitas maior aliunde expectanda est, vt quae ab his argumentis ad ipsam aeternitatem transit, cui toti viuimus. Quamobrem nemo nobis vitio vertet, quod in his tabulis sacra themata declamationum proponenda duximus. Etenim temporis ratio & laudabilis scholae nostrae consuetudo postulat vt exacto semestri liberno publica lustratione ex speciminibus singularum classium, industriae & profectuum ratio, illis, quorum haec scire interest, constet, & academiae candidati, quos iam ultra XXX vel studiorum conditio, vel aetas prouectior, vel parentum iussa, vel aliae rationes hinc auocant, manumittantur. Inter hos VIII alumni classis primae publice scholam valere iubeunt. Ex ordine vero selecto, qui die II Aprilis ante meridiem examen subibit, ad academiam transibunt V ingenui & bonae spei iuuenes vltimos simul sermones habituri, *Ioannes Michael Leuinus Wetzel*, Onoldinus, qui VII. annos in disciplina nostra, vnum vero & VI. menses in classe selecta eximio conatu transegit, *Matthias Christophorus Mittelstedt*,

stedt, Frisaceo Meso-Marchicus, excitatoris ingenii adoles-
 scens, *Gottlob Ernestus Müller*, Hallensis, & *Ernestus Gotthold*
Struve, Primislaviensis, laboriosissimi adolescentes, qui III an-
 num singuli in hac classe consumserunt suis partibus gnaviter fun-
 cti & *Adam Gottlieb Neubauer*, Hallensis qui VI menses in illo sta-
 dio diligenter decurrit. Quibus hanc mutationem gratulati, fe-
 licem & faustam emigrationem ac beneficiorum perpetuitatem &
 quotidiana incrementa a DEO, rerum nostrarum arbitro, omnis-
 que felicitatis statore precamur, ut spei quam de se exci-
 tarunt, abunde satisfaciant.

ORATIONES

EX ORDINE SELECTO.

IO. KAGEL, Gardeleg. Marchic. de gloria Christi patientis,
 latine dicet.

EXAMEN THEOLOGICVM DE BAPTISMO.

ADAMVS THEOPHILVS NEUBAVER, Hallensis, de veritate
 resurrectionis Christi ager. carm. germ.

EXAMEN HISTOR. LITTERAR. DE NOTIT. LIBROR. com-
 paranda.

ERNESTVS GOTTHOLD STRVVE, Primislaviensis, verita-
 tem resurrectionis Christi probabit germanice.

EXAMEN LATINVM EX ORAT. CICER. pro C. Rabirio.

GOTTLob ERNESTVS MVLLER, Hallensis, gloriam Christi
 resurgentis celebrabit carmine latin. heroic.

EXAMEN PHYSICVM DE AERE.

B

MATTH.

MATTH. CHRISTOPH. MITTELSTEDT, Frisako Meso-
Marchicus gloriam Christi ascendentis canet carm.
germ.

EXAMEN POETICVM EX HORAT. OD. XV. LIBR. EPOD.
IO. MICHAEL LEVINVS WETZEL, Onoldinus, gloriam Chri-
sti regnantis explicabit carmine latino, & suo reliquo-
rumque nomine scholae dicet VALE.

CHRISTIAN. GOTTLOB HEERMANN, Sproeda Magdeb.
de gloria Christi studiorum nostrorum sine quacdam
locutus, academiae candidatis felicia quaevis precabitur
carm. latin.

DECLAMATIONES EX CLASSE PRIMA EXAMINI

d. II. April, a merid. & III. ante merid,
immiscendae.

CHRISTOPH. THEOPHIL. LANGE, Hallens. de vere nascent-
te exfuscitationis mortuorum imagine dicet latine.

GEORG. FRIDERIC. LVEDEKE, Berolin. de rore benignitatis
diuinæ teste & imagine german.

IO. RVDOLPHVS ANGERMANN, Hallensis, de pluvia teste sa-
pientiae diuinæ latine.

IO. CHRISTOPH. KECKE, Martisburg. de sole speculo & ima-
gine diuinitatis latine.

IO. MATTHIAS STIEGLITZ, Bahrendorff. Magdeb. de viola
martia seu purpurea latine.

PETR. RENAT. HOFFMANN, Coeslino Pomeranus, de reli-
quis paradisiacis tempore verno maxime conspicuis,
carmin. germ.

CHRIST.

CHRISTOPH. STEPHANVS CLEFFEL, Eglens. Magd. de to-
nitru homini pio non formidando, germ.

PETRVS MVLLER, Meseberg. Magdeburg. de horto ecclesiae
imagine aget, & suo ac commilitonum nomine scholam
valere iubebit, latine.

IO. VLRIC. SCHWENTZEL, Luckenvalda-Magd. Formicam
laudabit & commilitonibus in academicam conceden-
tibus gratulabitur carm. lat.

d. III. April. a merid. declamabunt

ex ordine primo.

IO. LVDOLPHVS HOMEYER, Lebendorff. Magdeb. de Iride
gratiae diuinae signo & imagine vers. germ.

ERNESTVS CHRISTLIEB KOENNEKE, Croppenstädiensis, de
vestigiis irae diuinae orbi terrarum impressis carm. latin.

ex ordine II. super,

CHRISTIAN. FRIDERICVS BOEHME, Hallensis, de historia
linguae gallicae, gallice.

TABVLA

CLASSIVM EXAMINANDARVM

Die II. April.

Hor. VII - XII.

- 
1. theologic. IV.
 2. latin. VI.
 3. latin V.
 4. actus oratorius & lustratio ordinis selecti.
 5. Musica Ima.

hor. II V.

hor. II. V.

- 1 Theolog. V.
- 2 Arithm. I.
- 3 Latin. IV.
- 4 Graec. III.
- 5 Latin. III. infer.

- 6 Graec. III.
- 7 Latin. III. super.
- 8 Graec. II.
- 9 Geograph. III.
- 10 Theologic. VI.
- 11 Music. III.

Die III. April.

h. VII. XII.

- 1 Theologic. III.
- 2 Geograph. II.
- 3 Hebr. II.
- 4 Latin. II. infer.
- 5 Classis mechan.
- 6 Histor. I.

- 7 Latin. II. super.
- 8 Mathem. extra ord.
- 9 Geographic. I.
- 10 Latin. VII.
- 11 Latin. I.
- 12 Theologic. II.
- 13 Music. II.

hor. II. V.

- 1 Theol. VI.
- 2 Arithm. III.
- 3 Gallica I.
- 4 Histor. II
- 5 Hebr. IV.

- 6 Gallica II.
- 7 Hebr. III.
- 8 Graec. V.
- 9 Theol. IV.
- 10 Music. II.

